

non esse, secundum coexistentiam ad instantia nostri temporis, ita potest etiam alia res similis desinere per ultimum sui esse, nam hæc duo mutuo sese consequuntur, tum ob rationis paritatem, tum etiam quia desitio unius ex productione alterius sequi solet, cum non possint esse simul; tum etiam quia hoc etiam non repugnat in ordine ad potentiam Dei; ergo neque in ordine ad potentiam liberi arbitrii.

13. *Diversam rationem conatur afferre Vasquez. — Illa tamen nec satis intelligitur. — Nec vim habet ad institutum.* — Conatur autem P. Vasquez rationem diversitatis in hoc assignare, quam non satis capio, sic enim ait: *Quamvis de potentia Dei possit operatio desinere per ultimum sui esse, tamen ipsa voluntas et intellectus creatus ex se cessare nequeunt ab operatione per ultimum esse illius. Ratio vero est* (inquit), *quia instantia seu moræ in hoc tempore ita debent assignari, ut una alteri omnino succedat; ea vero operatio, quæ alteri ex parte coexistit, ipsi non dicitur succedere, ergo nec diversum instans aut moram ab ea constituere dicitur.* Hujus (inquam) rationis neque sensum neque vim satis capio. Nam, cum dicimus, unum actum voluntatis creatæ posse desinere per ultimum sui esse, incipiente alio per ultimum non esse in ordine ad nostrum tempus, non dicimus unum illorum actuum alteri ex parte coexistere. Quis enim hoc unquam cogitavit aut cogitare potuit, cum illi actus partes non habeant, neque ullo modo simul sint? Nam sicut instans continuans tempus non coexistit temporis proxime præcedenti, nec immediate subsequenti, sed est immediate post unum, et proxime ante alterum, ita actus etiam desinens per ultimum esse non coexistit, vel in totum, vel ex parte, actui proxime subsequenti per ultimum non esse; sicut etiam extra controversiam est, actum, qui desinit per primum non esse, non coexistere actui incipienti per primum sui esse in instanti, ante quod præcessit alius actus, qui immediate antea erat. Denique per illamet verba, *immediate ante, vel immediate post*, excluditur coexistentia actuum sibi succedentium illo modo. Propterea ergo dixi me non satis concipere vim illius rationis. Quia si sumatur in vi unius syllogismi, præmissæ non cohærent, et quatuor terminos habent; si vero accipiatur tanquam virtute continens duas illusiones, sic tacite subsumit actus illos, quos dicimus habere inter se immediatam succes-

sionem, ex parte coexistere inter se; quod falsum est, ut ostendi. Et quod claritatis gratia dictum est de actibus positivis, quorum unus succedit alteri, quasi per mutationem a contrario in contrarium, dicendum est de existentia et non existentia ejusdem actus, quatenus una alteri immediate succedit, sive carentia existentiae præcedat, et sequatur immediate existentia per primum esse actus, sive e contrario præcedat existentia, et immediate sequatur ejus carentia per ultimum esse actus; in neutro enim modo invenitur coexistentia ex parte, sed successio. Et præterea illa ratio non magis habet locum in actu, qui per potentiam Dei desinit per ultimum sui esse, quam in eo quem dicimus desinere posse eodem modo per potestatem liberi arbitrii. Nam si in priori casu datur successio inter unam moram et aliam, sine coexistentia, etiam ex parte, inter actus qui in illis fiunt, cur non erit similis successio, etiamsi desitio sit per potestatem liberi arbitrii? Vel e contrario, si in posteriori desitione per vim libertatis non est vera successio, sed coexistentia ex parte, cur in priori modo non erit idem dicendum? Non video sane quid responderi possit, vel quæ ratio differentiae assignari valeat, cum effectus sit idem, eademque successio vel coexistentia, sive majori, sive minori potentia fiat.

14. *Philosophica doctrina non militat contra auctorem.* — Et hæc quidem dicere coacti sumus de puncto philosophico, quia, sine illo, punctum Theologicum, de quo tractamus, intelligi non poterat. Nec philosophi nobis contrarii sunt, quia, cum negant res permanentes desinere per ultimum sui esse, loquuntur de rebus, quæ per naturalem corruptionem consequentem ad generationem physicam desinunt esse; namque hæc generatio fit in termino motus præcedentis. Unde necesse est ut illud etiam sit primum non esse rei corruptæ, quia generatio unius est corruptio alterius. Secus autem est de actu indivisibili dependente a causa libera, nam ex se non determinat certum modum inceptionis vel desitionis secundum coexistentiam ad nostrum tempus, quæ (ut dixi) illis accidentaria est, et ideo pro libertate operantis uno vel alio modo incipere possunt, ut etiam moderni scriptores in 7 Physicor. notarunt. Et sumitur ex his quæ late disputat Gregorius in d. 17, quæst. 2, art. 2, et docuit expresse Scotus, d. 5, quæst. 1, § *De secundo*,

et in 3, d. 3, quæst. 1, § *Ad questionem*, cum sequentibus, ut alios nunc omittam.

15. *Contra impugnatum vero responsionem Vasquez duo militant Theologica incommoda. — Primum incommodum.* — Theologice vero rem considerando, duo incommoda ex illa sententia sequuntur: unum est, quia multum derogat libertati voluntatis. Duplicem enim necessitatem sine fundamento illi tribuit: una est incipiendi actum suum in instanti nostri temporis, et non aliter; alia est, continuandi talem actum, seu permanendi in illo per aliquam moram nostri temporis; et potest addi tertia necessitas, scilicet, ut in illa mora temporis in qua voluntas perseverat, amando, verbi gratia, non possit usque ad instans aliquod intrinsecum pervenire, sed necessario debeat cessare ab actu pro illo instanti, quod est illius moræ terminus. Quorum omnium cum nulla ratio ex parte ipsius actionis reddi possit, ut ex dictis patet, in diminutionem libertatis voluntatis redundant. Omissis autem prima et tertia necessitatibus, de quibus jam dictum est, secunda, de continuatione actus, habet majorem absurditatem, quia est quædam necessitas quoad exercitium ex sola suppositione extrinseca. Nam, ex eo quod voluntas elicerit actum in aliquo instanti nostri temporis, cogitur perseverare in illo pro aliquo tempore. Neque satisfacit, respondendo hoc tempus esse indeterminatum, quia rationes, supra factæ de tempore determinato, æque ostendunt nullam dari posse causam illius necessitatis, etiam pro indeterminato tempore. Sed aiunt nullam ibi esse necessitatem, quia in quolibet instanti signato potest voluntas ab actu cessare, ac proinde tota continuatio actus libera est. Hoc vero non satisfacit, tum quia si voluntas omnino non potest non continuare actum, quomodo est libera ad continuandum, cum libertas requirat potestatem ad oppositum, et illa necessitas continuandi sit mere naturalis, juxta illam sententiam, supposita productione actus? tum etiam quia intelligi non potest ut voluntas non possit non durare in suo actu in temporis mora, et tamen quod in omnibus instantibus totius moræ sit libera ad relinquendum actum.

16. *Secundum incommodum.* — Alterum inconveniens illius sententiæ est, quia sequitur hominem in primo instanti nostri temporis, in quo actum contritionis vel amoris Dei elicit, nullum certum gradum gratiæ vel augmenti ejus mereri, et similiter peccato-

rem in primo instanti contritionis suæ nullam determinatam gratiam impetrare; consequens est absurdum; ergo. Sequela patet ex confessione adversariorum; dicunt enim nullum certum meritum vel gradum gratiæ respondere actui, ut duranti per unum instans primum, ut evitent calculationem procedentem usque ad infinitum. Minor autem probatur, quia si nulla gratia determinata respondet actui ut existenti in primo instanti, nulla etiam gratia dabitur in eodem instanti, quia non potest in instanti fieri gratia indeterminata, atque ita non justificabitur peccator in instanti in quo primo habet contritionem, nec augebitur charitas in eodem instanti in quo elicit actum etiam intensiorem. At hæc non audent dicti auctores concedere, et ideo respondent prævidere Deum, quantum sit talis actus duraturus, et juxta determinatum meritum in tanta mora futurum, dare determinatam gratiam in illo primo instanti. At hoc facile et efficaciter impugnatur, nam vel totum meritum illius actus datur in primo instanti in quo fit, vel non est tunc totum, sed per moram temporis complendum est. Primum est contra hypothesim, in qua convenimus, scilicet, continuationem actus ejus meritum augere. Unde etiam adversarii fatentur actum illum, tanto majorem impetratum esse gratiam, quo majori mora fuerit duraturus. Si autem totum meritum illius actus non est completum in primo instanti, absurdum est dicere in eo instanti dari totum præmium ejus, quia, secundum legem Dei ordinariam, non datur præmium ex merito futuro præviso, sed meritum antecedit præmium, saltem ut præexistens ordine naturæ. Et similiter forma gratiæ non infunditur secundum futuram dispositionem, sed secundum præsentem. Alias sequeretur, ex duobus peccatoribus habentibus æqualem contritionem, uni infundi majorem gratiam quam alteri in primo instanti, solum quia unus magis duraturus est in actu contritionis quam alius; consequens autem falsum est, quia unus in eo instanti non est melius dispositus quam alius, et gratia infunditur secundum propriam cuiusque dispositionem, ut Concilium Tridentinum dixit; nam futura mora vel continuatio non est dispositio ad primam gratiam; imo per accidens se habet respectu illius. Item sequitur, in instanti justificationis semper infundi gratiam intensiorem, quam sit contritio in illo instanti, quia aliquid additur gratiæ ratione futuræ continuationis. Imo contingere

potest ut homo, perseverando in actu contritionis per aliquod tempus, in toto illo intendat continue suum actum; absurdum autem est dicere totam gratiæ intensionem respondentem illi intensionem actus dari in primo instanti justificationis; ergo falsum est etiam dicere, dari in illo instanti intensionem gratiæ per continuationem actus comparandam. Præterea est optimum argumentum, quia tota prima gratia datur sine merito de condigno, et augmentum quod respondet continuationi actus datur de condigno; ergo non datur in primo instanti, sed successive, prout continuatio actus temporis successivo coexistit. Alias prima gratia non omnino gratis daretur, nam quod datur ratione continuationis futuræ, non datur gratis, sed ex merito proprio, ut postea videbimus. Denique actus ille, in uno instanti factus, est perfectus, et determinatus in suo esse et intensione; cur ergo illi, ut sic, non respondebit determinatus gradus meriti et gratiæ, sive in ordine ad nostrum tempus amplius duraturus sit, sive non sit?

17. *Vera tandem responsio ad secundam rationem dubitandi in n. 1.* — Dico ergo in actu meritorio facto in instanti, et continuato per aliquod tempus, distinguenda esse duo: unum est, productio actus quoad substantiam ejus; aliud est perseverantia in illo actu per moram temporis, quæ est veluti circumstantia illius actus. Illi ergo actui, ratione liberæ productionis quoad substantiam ejus, respondet certum meritum et definitum præmium, seu gradus gratiæ, ut probant omnia adducta. Neque inde recte infertur tantumdem meriti respondere singulis instantibus ejusdem actus, prout coexistentis singulis instantibus ejus temporis cui coexistit, quia in omnibus illis instantibus non producitur novus actus meritorius, sed perseveratur in eodem, unde non est idem modus operandi, neque idem usus libertatis. Nihilominus tamen ratione continuæ permanentiæ in eodem actu aliquid moralis valoris accrescit illi actui in ordine ad meritum; illud tamen augmentum non fit in instanti, sed successive, ideoque non est infinitum, quia finito tempore fit, et per partes illius temporis crescit cum proportione ad illas, et consequenter etiam per instantia non adduntur illi partes meriti, sed in eis continuatur meritum cum eadem proportione quasi per mutata esse indivisibilia, et ideo etiam ex instantibus non consurgit infinitas, quia ex vi singulorum instantium non

augetur meritum continuationis actus, sed terminatur vel copulatur, prout ex partibus successivis constat.

18. *Diluitur objectio.* — Objici vero solet, quia inter instans et tempus non est proportio; ergo neque inter meritum primi instantis et meritum continuationis erit proportio, ac subinde unum excedet aliud infinite. Sed respondetur facile primum non ideo dici instans esse improporcionatum tempori, quia ab illo infinite excedatur, sed quia instans est indivisibile, et ideo non potest esse pars continui, et consequenter nec servare ad illud proportionem partis, quam vocant aliquotam. Et deinde in hoc ipso non fit recta comparatio ad meritum. Quia meritum primi instantis, licet sit indivisibile quoad productionem, quæ est tota simul, nihilominus tamen meritum talis actus est certæ quantitatis et perfectionis, quæ a nobis considerari potest ut quid indivisibile secundum valorem et intensionem, et ita illi potest correspondere gratia ut duo, vel ut quatuor, etc., juxta perfectionem actus. Et hac ratione potest illud meritum servare proportionem ad meritum totius continuationis, et interdum esse majus in momentanea productione actus, quam in continuatione, si parva sit vel remissa; aliquando vero poterit excedere meritum continuationis, si magna sit, et præcipue sit conjuncta cum majori intensione ipsius actus, quia jam additur actui nova circumstantia augens meritum. Verumtamen, quamvis contingat actum continue intendi toto tempore quo durat, non potest etiam inde colligi augmentum infinitum, quia ex utroque capite intensionis et continuationis meritum successive crescit quasi per partes proportionales, et in singulis instantibus solum est continuatio ejusdem meriti, et ideo cum solum daret augmentum pro tempore finito, finitum semper est, et certis terminis clausum. Et hanc eandem responsionem ad illam difficultatem pluribus verbis declaravi et confirmavi in dicta relectione, et ideo non videntur hoc loco plura necessaria.

CAPUT XXII.

UTRUM CIRCUMSTANTIA, SEU DIGNITAS PERSONÆ, CÆTERIS PARIBUS, MERITUM OPERIS AUGEAT?

1. *Primum argumentum pro parte negativa.* — *Secundum.* — *Tertium.* — *Quartum.* — *Quintum.* — Hæc quæstio præcipue moveri so-

let de dignitate gratiæ habitualis. Fieri enim potest ut duo justis, habentes inæquales habitus gratiæ, æqualiter nunc operentur; est ergo dubium an ille actus sit ejusdem meriti in utroque, vel majoris in eo qui intensiorem habitum gratiæ habet. Et videtur sane non crescere inde meritum. Primo, quia habitus gratiæ per se non confert ad meritum, sed tantum ut actu operans, quia habitibus nec meremur nec demeremur; sed habitus gratiæ non plus operatur in eo, in quo est intensior, quam operetur minor gratia in altero, quia supponuntur æqualiter operari; ergo gratia illa, licet sit in se major, non auget meritum. Explicatur amplius, quia tunc gratia non est circumstantia operis, sed quasi materialiter et concomitanter se habet in tali persona. Secundo, augetur difficultas, quia ille qui cum minori gratia æqualiter operatur, non minori, imo quodammodo majori videtur laude dignus, quia cum minoribus gratiæ habitualis viribus æque bene ac alius operatur, et ideo vel iste magis meretur, vel certe unius dignitas cum alterius diligentia compensabitur, ut non plus alter mereatur. Tertio facit generalis Dei lex, quod unusquisque recipiet secundum opera sua, seu secundum suum laborem; ergo si opera utriusque æqualia sunt, æquale recipient præmium, et ita æqualis erunt meriti, etiamsi unus habitualiter sit sanctior alio. Quarto, possumus argumentari, quia alias hic etiam videtur sequi quidam processus in infinitum: suppono enim, ex supra dictis, augmentum gratiæ, quod justus meretur, statim dari, ac proinde justum, qui opus facit meritorium, in eodem instanti fieri habitualiter sanctiorem; ergo si major sanctitas habitualis auget meritum, eo ipso quod persona facta est sanctior, in eodem instanti augebitur meritum talis operis, quia jam est a persona sanctiori. Unde ulterius ratione operis, jam facti majoris meriti, iterum gratia augebitur, et ex illa crescet idem meritum, et sic in infinitum. Ad vitandum ergo simile absurdum, dicendum potius est, sanctitatem habitualement non conferre ad meritum, nisi quatenus actu operatur, ac proinde idem opus propter majorem gratiam habitualement non esse magis meritorium. Quinto, argumentor, quia alias sequeretur in omni opere meritorio tantum augeri meritum, quantum est intensa gratia ipsius operantis, ita ut si gratia sit ut quatuor, actus mereatur tot gradus gratiæ, præter illos quos, ratione suæ bonitatis et aliarum circumstan-

tiarum meretur; consequens est incredibile; ergo. Sequela patet, quia si gratia habitualis per se dignificat actum, secundum se totam augebit illum; ergo tantum augebit quantum ipsa est. Unde etiam fieret ut, si gratia operantis esset infinite intensa, quilibet actus, etiam minimus, hominis habentis talem gratiam, esset infinite meritorius, sicut fuit omnis actus Christi Domini, quod etiam est incredibile. Propter quas rationes, vel earum aliquas hanc sententiam defendit Medina 1. 2, quæst. 114, art. 8, et refert illam docuisse Magistrum, Cano, et alios sui ordinis viros doctissimos. Et solet etiam pro illa referri Gerson, tract. de Merito, litter. R. Sed nec tractatum illius tituli, nec sententiam ipsam in operibus ejus invenio. Estque opinio hæc satis probabilis.

2. *Pars affirmans, quam sequitur auctor cum aliis.* — Contrariam sententiam docuisse Victoriam refert Medina supra, et addit etiam P. Joannem Penna, ejusdem ordinis insignem nostri temporis Theologum, quos ego secutus sum in tom. 1 tertiæ part., disp. 4, section. 4, § *Ad primum*, soletque attribui Almaino, tract. 2 Moral., capit. 10. Sed licet circa finem capituli aliqua dicat, quæ ad hanc partem applicari possunt, re tamen vera illam non defendit; imo ex discursu ejus contrarium colligi potest. Nam supponit ad actum meritorium semper charitatem active concurrere, et inde infert posse actum esse magis meritorium ex majori influxu charitatis, licet voluntas non plus conetur, vel interdum etiamsi minus conetur. Quæ, sive sint vera, sive falsa, ad præsentem causam non pertinent; semper tamen supponit, actum magis meritorium esse in se majorem, seu intensiorem ex conatu voluntatis vel charitatis, et ita potius significat actum æqualem nunquam esse magis meritorium ex sola quasi assistentia intensioris habitus gratiæ, vel charitatis. Refertur etiam pro hac sententia Victor., libr. 1, quæst. 9, ubi nihil de hoc puncto disputat; obiter tamen videtur huic sententiæ favere in dub. 1, ad 3, quatenus ait charitatis intensionem non tantum conferre ad majorem intensionem actus, sed etiam ad majorem dignitatem et meritum ejus. Allegat autem quædam D. Thomæ testimonia, quæ ad rem non faciunt. Solent etiam pro hac opinione citari quædam D. Thomæ loca, in quibus dicit opus esse magis meritorium, quod procedit ex majori charitate, ut 1 part., quæst. 95, art. 4, et quodlib. 6, art.